Quocircà meritò ſecerni vult ab eorum cœtu, apud quos nullus ordo, nulla æqui ratio, proptereàque procul, procul eſſe docet tamquàm profanos, ſicut in cœleſte templum non intrat *aliquod coinquinatum* b, &c. Sed *foris* jubentur *canes eſſe*, & *venefici* c, &c. Quia tamen interim latent, ac tolerantur, flagitat, ne ob hanc cum illis communionem, perdat illum; ſed ſuo tempore ab illorum ſocietate, perpetuò eximat, ut quibus in hac vita morum diſſimilitudo eſt, ſit & in retributionis diverſitate ſeparatio.

b *Apoc.* 21. 27.
c *infr.* 22.15.

Ne perdas.] Συναπολέσῃς, *ſimul perdas*; quo pacto Caſſiodorus, & alii: aliqui etiam legunt, & Auguſt. in ſecunda enarratione, comperdas: תאסף *theſoph*, *aggreges*, congreges, colligas, reponas, finias, conſumas. Hoc modo dicitur Abraham *congregatus ad populum ſuum* d, quando mortuus eſt, quaſi tum pii, tum impii colligantur, velutique colligentur in ſuos faſciculos, *d*, ac demetantur *e*, *Viri miſericordiæ colligi* dicuntur *f*, & *Auferes*, inquit, *Spiritum eorum*, & *deficient* g. Quæ formulæ indicant immortalitatem animæ, quòd corpore tamquam ſtipula reſecto, remaneant animæ ariſta, & in manipulum colligetur.

d *Gen.* 25.8.
e *Mat.* 13.39
f *ibid.* & *Apoc.* 14.15.
g *Iſa.* 57.1.

Cum impiis.] עםחטאים *Hhim Chattaim*. Latiùs patet nomen hic, quam impiorum, & ἀσεβῶν, tamen rectè de iſtis accipitur, ut, quod priùs notavimus, duplex indicetur peccati genus, hoc in Deum, aliud contra Proximum, quem lædunt maximè *viri ſanguinum*.

Deus.] Omittitur hoc *Dei* nomen in aliis editionibus, & Pſalteriis, & ab Auguſtino, Caſſiodoro, &c. Sed legit Euthymius, ac Theodoretus.

Animam meam.) Videtur quidem *anima* hominem totum ſignificare poſſe, nec non vitam, quæ mox exprimitur: tamen ex propria quadam comparatione ad impios prout violant amicitiam, & gratiam Dei, in qua conſiſtit animæ vita ſpiritualis: & quia qui alienum ſanguinem fundunt, & eripiunt alteri vitam, digni ſunt, quibus pariter ſanguis, ac vita eximatur: poterit hic *anima* perditio ſumi ſpiritualiter pro damnatione, ſicut *vita*, pro interfectione corporis.

Viris ſanguinum.) Homicidis, etſi alii præterea vitiis laborantes carnalibus interpretentur, aut morte dignos. Leges Pſalmum quintum *h*. Facultatula pauperis vocatur *ſanguis* ejus: quemadmodum quidam ærarii pecuniam ejuſdem vocat *ſanguinum*. *Qui pauperem defraudat*, *homo ſanguinis eſt* i. Ille etiam, qui ſemen effundit, non cauſſa prolis. Tandem qui occidendo ſanguinem elicit. Michæas, *k*, *Væ* iis dicit, quæ ædificant *Sion in ſanguinibus*, & *Jeruſalem in iniquitate*. Habacuc *l* aſſimilem omninò ſententiam habet. *Vir* item *ſanguinum* cenſetur, qui non obturat aures, ut audiat ſanguinem *m*, ideſt, qui facilè admittit, libenterque falſos accuſatores, & teſtes, qui alienum ſanguinem ſitiunt. Adhæc poteſt Idololatra ſic appellari, qui libabat bibendo in ſacrificiis cum lacte, vinoque permixtum ſanguinem.

h *Pſ.* 103.1.
Duplex peccati genus.
i v.7.
Ærarii pecunia, ejus ſanguis.
K *Eccl.* 34. 25. 27.
l c.3.10.
m c.2 12.
Vir ſanguinum quis dici poſſit.

Verſ. 10.) In quorum manibus iniquitates ſunt: dextera eorum repleta eſt muneribus.

HI ſunt impii, virique ſanguinum, ſed hi maximè, niſi impios intelligamus magis genericè pro peccatoribus, etiam qui ſunt viri ſanguinum, ſive homicidæ, ac injuſti, & ſunt partim patratores mali, partim mali lucratores. Loquitur verò præcipuè de principibus, atque judicibus, qui ſe muneribus corrumpi ſinunt, quæ manibus recipiant. De munerum iniqua receptione dixi Pſalmo decimo quarto *n*. Vocat judices quoſdam δωροφάγους Heſiodus: damnatque hanc δωροδοκίαν Plato libro de legibus 12. & extabat olim Cincia lex muneralis, ne cui liceret nummos accipere, de qua Tullius *o*, deque rei ipſius turpitudine *p*. Denique hoc inter neceſſaria numeratur ad regiam adminiſtrationem, τὸ συντηρεῖν αὐτὸν ἀδωροδόκητον, *ſervare ſeipſum immunem à minoribus recipiendis*. Reprehendunt item Hieron. *q*, & Bern. *r* in Religioſis munuſcula, ut litteras, ſudariola, &c. nec enim decore ſanctum amorem, & mundi contemptum, & dexteram eo modo repleri muneribus, ideſt, quum videntur eorum bona opera, & plus lætari in illis, quàm in iſtis. Addit Bernardus, qui cauſſa amoris Dei, ab hominibus dona vanitatis, & ſuperfluitatis non recipit, Deum in majeſtate ſua viſurum *ſ*.

n *Iſa.* 33.15.
o v.5.
p *de Orat.* & 1. *ad Attic. Epiſt. ult.*
Inter neceſſaria ad regiam adminiſtrationem quid numeretur.
q 2. *de Offic.*
q. *in Verrem.*
r *Ep.* 2. & *in Reg. monat.*
ſ *Ad Sororem de Modo bene vivendi* c. 16.

Iniquitates.) Teleſphorus *t* & Hieron. *ſcelus* זמה *zimmah?* quæ vox deliberatum facinus, cogitatum, meditatum ſignificat, ut aliàs dixi, præſertim vero in alterius damnum. *Iniquitates in manibus* ſunt, quæ in opus rediguntur: Vel, ut ait Euthym. ac Nicephorus, quas habent improbi in promptu.

t *Iſa.* 33. 15. 16.17.

Dextera eorum repleta eſt muneribus.) Dextera manu munera capiunt. Alii ſenſus myſtici ſunt apud Hugonem, & Thomam: Improbos ob nonnulla opera bona, recipere in hac vita externa munera, & temporalia, quum cariturì ſint æternis; vel quidquid boni faciant; muneris alicujus, præmiique recipiendi cauſſa facere, quod eſt munus à manu, ideſt, emolumentum temporale, à lingua nempe, laus; à corde, videlicet favor. Nomen שוחד *ſchochad* numeri ſingularis, non munus abſolutè ſignificat, ſed ſordis, atque corruptionis. *Dextera* pro operibus uſurpatur, præſertim bonis, proque felicitate. Igitur qui hìc felices volunt eſſe, ac prævertere, ſeu vices immutare, nec expectare dexteræ futuræ locum; prætereà quorum ſiniſtra ſcit opera, quæ facit dextera *u*, ideſt, pro lucro opera alioquin bona faciunt; hi cenſentur dexteras habere plenas muneribus *x*. Chryſoſt. docens in poteſtate noſtra eſſe quodque membrorum noſtrorum, ſive malitiæ, ſive juſtitiæ inſtrumentum facere: inductionemque faciens in lingua, ore, corde, manibus, de iſtis mali uſus exemplum hoc ex loco producit, boni autem ex alio Pſalmo *y*, in quo mentio fit de elevatione manuum, in ſimilitudinem ſacrificii veſpertini.

u *Epiſt.* 2.
Senſus myſtici.
Dextera pro operibus.
x *Mat.* 6.3.
y *Hom.* 4. *ad populum.*

Verſ. 11.) Ego autem in innocentia mea ingreſſus ſum: redime me, & miſereri mei.

IDeircò cum impiis damnari non debeo, quia innocenter vixi, quod initio Pſalmi his ipſis verbis dixerat: quocirca libera me ò Deus, de præſenti calamitate, atque pro miſericordia tua tribue, ne deinceps in eam relabar.

Mali uſus manuum ex hoc loco exemplum productum à Chryſoſt. boni uſus, ex alio loco
z *Pſ.* 140.2.

In innocentia mea ingreſſus ſum.) Teleſphorus z Papa, & Hieron. *In ſimplicitate mea gradiar* בתמי אלך *bethummi elech*. Nomen Hebræum iſta valet, ac *integritatem*, perfectionem, ſinceritatem. Verbum futuri temporis eſt pro præterito, vel indicat, quod fecerit hactenus, & ſe feciſſe, principio Pſalmi eadem utens voce, dixit, in poſterum ſemperque facere velle. *Qui feſtinat ditari*, *non erit innocens* a; nimirum is, qui malis vult artibus dives fieri cum injuria proximi; non erit impunitus à Deo, nec effugiet hominum vituperationes, atque reprehenſiones. *Innocuum* ἄκακον opponit innocenti: nocumentum autem quodcumque per *ſanguines* antea intellexit. *Non privabit bonis eos*, *qui ambulant in innocentia* b, ἐν ἀκακίᾳ בתמים *bethamim*. Apollinarius hoc loco exponit βίον μείλιχον, *vitam placidam*. Aſſumpſit Innocentius Papa VIII. ſententiam iſtam ſymboli loco *c*.

a *Epiſt.*
b *Prov.* 28. 20.
c *Pſ.* 83. 12.
d *Platina*, *Onuphrius*, *Ciacconius*,

Redime me.) *Redimere*, ſæpè idem eſt quod liberare, ſpecies pro genere. Niſi velis dicere hoc adeò frequenti uſu iſtius verbi voluiſſe Spiritum S. inſinuare liberationem potiſſimùm Electorum de quacumque tribulatione, appellari poſſe redemptionem, quoniam pretio ſanguinis Redemptoris noſtri Chriſti comparatur, & fit. Pretium idem indicat aliud verbum, quod hìc eſt, *miſerendi*: & Enarratores de pretio illo ſanguinis hoc eodem loco meminerunt: ſimulque de libertate, in quam aſſerti ſumus à multiplici ſervitute, ac malo, licèt Thomas externa per verbum *redimendi*, per *miſerendi* potiùs mala interna velit denotari.

Redimere quid ſit,

Verſ. 12.) Pes meus ſtetit in directo: in Eccleſiis benedicam te Domine.

QUod ad me attinet, fixi mentis meæ quaſi pedem, propoſitumque in recto tramite tuo, legiſque tuæ, ut nùmquam recedam: ſed ego miſericordia tua: quam ſi conceſſeris, ut benè ſpero, benedicam te, atque celebrabo, & laudabo Pſalmis, & hymnis in omni piorum conventu, non in tabernaculo dumtaxat, vel templo.

Pes meus ſtetit in directo.) Hieron. ac Teleſphorus, *in recto*: Auguſt. *in rectitudine*: Pſalteria, Romanum & Ambroſ. *in via recta*. *Pes*, myſticè rationem, affectionem, operationem deſignat; vacillare hæc nonnihil poſſunt: firmitas eſt, ne per errorem dimoveantur, per cupiditatem, aliumve affectum pravum, per malam actionem. De his Hugo Cardinalis.

Myſtica interpretatio.

Per *directum*, *rectum*, *rectitudinem*, *viam rectam*, quam vocant LXX. εὐθύτητι, Symmachus τὸ ὁμαλὸν, & Hebraicè dicitur במישור *miſchor*, (qui eſt *locus planus*, magis excultus, & amœnus,) poſſumus intelligere legem æquabilem Dei, aut iter operationum per eam, in illa, quam proximè nominavit innocentia, ſive ſimplicitate, &c. ita ut nihil perverſum, obliquum, tortum, aſperum ſectetur, ſed ſint ipſi *prava*, *indirecta*, & *aſpera in vias planas* a: omnibus ſit æquus, blandus, lævis, lenis, ſine ſcandalo, abſque offenſione. Pedes ad ambulandum dati: ſtant verò, quando intra certam ſemitam moventur. Mundum animal biſida præditum ungula, homo eſt; ſic amans juſtitiam, rectumque iter, ac per id ambulans, quod ait Cyrillus *b* Alexandrinus, ut rectè & erga ſeipſum, & erga alios ſit affectus. Chryſoſt. *e* claudicatione unius pedis Jacob *d* Judæos claudicantes à ſemitis Dei *e*, & in duas partes *f*, unicumque Teſtamentum vetus recipientes, accipit: per alterum pedem firmum ex Gentilibus fideles. Ad hunc ſtatum, firmitatem, perſeverantiam hortatur nos Apoſtolus, ſic fidelem deſcribens, eum qui in fide ſtat *g*: *ſtate* inquit h *in fide*, & *in Domino*, &c.

a *Iſa.* 40.4.
b 14. *de Adora. in Spir.*
c *in Pſ.* 93.
Claudicationis Jacob interpretatio.
d *Gen.* 32.31
e *Pſ.* 17.46.
f 3. *Reg.* 18. 21.
g *Rom.* 11.20 2. *Cor.* 1. 24.
h 1. *Cor.* 16. 13. *Gal.* 5.1. *Eph.* 6. 14. *Philip* 4.1. 2 *Theſſ.* 2.5.

In Eccleſiis benedicam te Domine.) Hieron. Teleſphorus, Pſalterium Romanum, & Ambroſ. *Benedicam Dominum*, ſicut Hebraicè, niſi forſan ex: אברך *avarech* excidit aliud ך, quæ ſimul cum radiceli, alia ſimilis eſſet pro affixo pronomine perſonæ ſecundæ generis maſculini. Nomen plurale *Eccleſiarum* non præjudicat uni Catholicæ, ſicut aliàs notavi cum Auguſtino *i*, qui aliis exemplis id confirmat.

i *in Pſ.* 150.

Eccleſia porrò vocantur hìc במקהלים *makhelim*, etſi Arias legit במקהלים *makahalim*, volens habere inſtar participii in conjugatione tertia, piel, quæ efficaciam plerumque adſignificat, ita ut ſelectiſſimas, probatiſſimas, optimas conciones, cœtusve ſignificet, quemadmodum, & quod iterum dumtaxat, ſed ſub forma fœminina occurrit in Pſalmo LXVII. *k* במקהלות *makhaloth* vel ut idem velle debet Arias במקהלות *mekahaloth*: *In Eccleſiis benedicite Deo Domino*, quaſi videlicet prius viros vocabulum, poſteriùs fœminas eccleſiaſticè convocatas deſignet.

Vocis *Eccleſia* interpretationes
k v.27.

Ceterùm Euſebius, Theodoretus, Euthym. Baſilius obſervant in his verbis prædictionem, futurum fuiſſe, ut Pſalmiſti toto terrarum orbe per omnes Eccleſias decantarentur: quòd jam ait Theodoretus terra marique impletum. Cyrillus quoque Jeroſolym. *l* ait, repudiata Eccleſia malignantium, in verſu quinto, prædici in iſto multiplicandas per orbem Eccleſias Chriſti, quæ una quoque conflata de multis appellatur *Eccleſia ſanctorum*, & in ea dicitur laus Dei eſſe *m*. Videtur Apollinarius intellexiſſe hæc verba de benedictione, quæ fit per prædicationes hortatorias, vel per carmina, quæ tale contineant argumentum: ait enim:

l *Catech.* 18.
m *Pſ.* 149.1.

Καί σε μάκαρ μέλψαιμι παραινήσεσσι λιγαίνων.

Et te Beate canam exhortationibus prædicans.

Putant aliqui per *Eccleſias* intellexiſſe Davidem Synagogas, quarum uſus eſſet etiam ad orandum extra templum, & priùs quàm templum exiſteret; neque Jeroſolymis dumtaxat, ſed & alibi diverſis in locis, quamvis uno tantùm in loco ſacrificare fas eſſet, ubi erat arca. Eaſdem ſignificari volunt in Pſalmo LXVIII. n. *In Eccleſiis benedicite Deo Domino*: & in libro Eccleſiaſtici o: *In Eccleſiis Altiſſimi aperuit os ſuum*. Hac de re in commentario Actuum Apoſtolorum egimus ad cap. 6. *p*. Infinitus propè numerus eſt noſtrarum Eccleſiarum, quibus multo meliùs congruit, ut in iis benedicatur Deus.

n v.27.
o c.24.2.
p v.9.

PSALMUS VIGESIMUS. SEXTUS.

1. Pſalmus David priùſquam liniretur.

DOminus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo?

Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?

2 Dum appropiant ſuper me nocentes, ut edant carnes meas:

Qui tribulant me inimici mei, ipſi infirmati ſunt, & ceciderunt.

3 Si conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum.

Si exurgat adverſum me prælium, in hoc ego ſperabo.

4 Unam petii à Domino, hanc requiram, ut in habitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

Ut videam voluptatem Domini, & viſitem templum ejus.

5 Quoniam abſcondit me in tabernaculo ſuo in die malorum protexit me in abſcondito tabernaculi ſui.

6 In petra exaltavit me: & nunc exaltavit caput meum ſuper inimicos meos.

Circuivi, & immolavi in tabernaculo ejus hoſtiam vociferationis: cantabo, & Pſalmum dicam Domino.

7 Exaudi Domine vocem meam, qua clamavi ad te: miſerere mei, & exaudi me.

8 Tibi dixit cor meum, exquiſivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.

9 Ne avertas faciem tuam à me: ne declines in ira à ſervo tuo.

Adjutor meus eſto: ne derelinquas me, neque deſpicias me Deus ſalutaris meus.

10 Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem aſſumpſit me.

11 Legem pone mihi Domine in via tua: & dirige me in ſemitam rectam propter inimicos meos.

12 Ne tradideris me in animas tribulantium me: quoniam inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi.

13 Credo videre bona Domini in terra viventium:

14 Expecta Dominum, viriliter age: & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.

TITULUS.

Verſ. 1.) Pſalmus David priuſquam liniretur.
Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo?

HEbraicè tantùm extat, in titulo לדויד *le David*, eodemque modo Chald. & apud Hieron. Sed & refert Didymus, ac Theodoretus in hexaplis Origenis nihil ampliùs inventum eſſe. Ideò credunt quoque, nonnulli, nec à Septuaginta hæc addita. Quiſquis addiderit, recipi debent, quidquid contradicat Eugubinus. In quibuſdam prætereà codicibus additur, *in finem*, & videtur Cyrillus in Catena Barbari citatus legiſſe, εἰς τὸ τέλος. *In Victoriam.*

ARGUMENTUM.

QUum autem David ter unctus fuerit in Betheleem, à Samuele *a*: in Hebron à tribu Juda *b*; ibidem ab univerſo Iſrael *c*: videtur hunc Pſalmum edidiſſe ante ſecundam unctionem, quia meminit de protectione in abſcondito tabernaculi, ubi refugium à Saule Achimelech excepit *d*. Agellius multa in hoc Pſalmo cum quinto communia cernens, amborum idem argumentum ducit, nempe invocationem auxilii divini, quum fugeret Saulem, cum deſiderio, ac ſpe reviſendi tabernaculi ſacri. Idem non reſpuit ſententiam, ut de ſummo diſcrimine vitæ, quod ſemel præcipuè ſubiit, inter pugnandum, agat, quando ſui eum deinceps in bellum prodire vetuerunt *e*: ita ut & hoc nomine gratias agat, & ſe tunc voviſſe dicat non recedere à domo Domini, ſi, quemadmodum cupiebat, eò illi redire concederetur.

Trina Davidis unctio.
a 1. Reg.16, 13
b 2. Reg.2.4
c ibid.c.5.3.
d Reg.21. 1, & ſeq.
Agellius idem argumentum hujus Pſalmi cum quinto faciens.
e 1. Reg.21, 17.

Prima ſententia communior, maximè Græcorum, quàm Lametius, Luyſius Legionenſis, Janſenius amplectuntur, & ex paullò vetuſtioribus Latinis; Treveтus, Lyranus, & ante hos alii, ut Hieronymus: Cajetanus credit ante ultimam unctionem ſcriptum Pſalmum ac de tempore, quo dimicandum illi fuit cum domo Saulis poſt unctionem ſecundam. Non diſplicet, quia *unctio* ſimpliciter poſita cenſeri poteſt eam deſignare, propter quam David Rex abſolutus, atque populi totius, & omnium Tribuum renuntiatus, ac receptus eſt. Favet Apollinarius,

Πρόσθεν ἀνακτορίης γεραρῆς Δαυῖδος ἀμύμων
Ἕκτον ἐεικοστὸν τὸ σοφὸν τεχνήσατο κῶμον,

Ante Imperium honoratum David inculpatus.
Sextum, viceſimumque doctum fecit cantum.

Inclinat huc magis Bredembachius. Janſonius vult de tempore ante primam quoque unctionem Pſalmum loqui. Varlenius contendit de ſolo Chriſto exponendum, qui unctus eſt ſpiritualiter Spiritu ſancto à Patre *f* in utero matris in baptiſmo, poſt reſurrectionem, quum data eſt ei omnis poteſtas *g*. Admitto ſenſum iſtum, ut & tropologicum ejuſdem, aliorumque Latinorum Patrum, duce Auguſt. de nobis, qui omnes in Baptiſmo ungimur, in Confirmatione, in extrema Unctione *h*: quæ comparatione beatitudinis, in qua conſequemur poteſtatem perfectam, regiam, atque ſacerdotalem *i*, haberi unica poteſt. Nec improbabilis myſticè ſumpta Heſychii ſententia de Catechumenis interpretantis, qui nullo modo adhuc inuncti ſunt unctione ſacra. In Pſalmum autem trigeſimum reprehendit inſcriptionem, ſi de David intelligatur, quia antequam omninò urgeretur, non ea fuerit ætate, peritia, gratia, ut condere Pſalmos poſſet alioqui fruſtrà Samuelem ad illum miſſum. Non aſſerimus quidem de tempore ante primam unctionem. Sed Heſychii ratio non concludit.

De ſolo Chriſto quis pſalmum exponat.
f Act.10 38 Iſa.61 1. Pſ. 44.8. Luc.4. 18. Heb.1.9.
g Mat.ult.18
Tropologicus ſenſus.
h Jac.5. 14.
i Apoc. 1.6. infra c 10.
Pſalmi trigeſimi inſcriptio ut improbata ab Heſychio.

Sed litteraliter titulus de Davide, primo, quamvis non præcipuo, loco ſumendus eſt. Chriſti autem unctiones vel regni quaſi initiationes tres aliter alii diſtinguunt, in baptiſmo, poſt quem, ceu cum Golia, certavi *k* cum Diabolo: quando in Judæa ſola habuit diſcipulos ante mortem: demum poſt reſurrectionem congregando ubique Eccleſiam; quod adhuc fit uſque ad conſummationem ſæculi, quo interim tempore multa toleranda ſunt. Similiter Hugo Cardinalis, & alii primam cujuſque noſtrum myſticam unctionem conſtituunt in gratia gratis data, ideſt, in vocatione, quum eſſemus ſub poteſtate Diaboli; ſecundam, in gratia ſanctificante, poſtquam pugnandum diù, donec vita ſupereſt; tertiam in cœlo: vel prima eſt velut in Betheleem intra domum cordis, quum gratia datur, ut confiteri valeas de peccatis: ſecunda, ſuper Judam quando confiteris: tertia, ſuper omnes tribus, quum cuncta membra ſubjicis ad ſatisfaciendum pro peccatis.

Chriſti unctionũ vel regni initiationum diſtinctiones.
k Mat.4. & 3 & ſeq. 1. Reg.17.49 50.

Exiſtit hinc ſatis argumenti notitia, & in Pſalmo formulam præſcribi, qua cum Deo agere, & qua uti poſſint ærumnoſi, atque miſeri, ut præſidium, & auxilium, ab illo referant, cui ſe ſe fidenter committunt, & quod adhùc non ſemel ſint experti, ita ut ſimul gratias pro præterito reddant, ſimul pro futuro voveant. *Quod ſi diuturna ſint*, ait Athanaſius *l*, *inimicorum inſidiæ, ne deſperes quaſi oblivioni traditus à Domino, ſed in voce Dominum canens viceſimum ſextum Pſalmum: nec non ſi aſpertus incurrant inimici, & premultitudine inſtar exercitus fuerint, ac propterea te contemnant, quaſi unctus non ſis*, (alludit ad titulum, & ad publicam, vel etiam generalem, quæ in Davide tertia fuit, unctionem) *bellumque cupiant, ne præ metu contractior fueris.* Ejuſdem Athanaſii apud Barbarum in Catena, ſingularis opinio eſt ex perſona Ezechiæ ob Aſſyrios devictos, carmen victoriale eſſe.

l Tract. de interpretatione Pſal.

Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo?] Adverſus tribulationis tenebras quas illa offundit menti, hanc provocans ad impatientiam, peccataque alia, divinæ ſplendor lucis, diſcuſſa timoris caligine, conducit plurimùm, confirmans ne metuat, ſed certam ſibi à Deo ſalutem polliceatur. *Nam ſi Deus pro nobis, quis contra nos* m. *Omnia cooperantur in bonum* n, ne peccatis quidem ipſis exceptis. Davidi Deus lumen oraculo prætulit, quando Ceilæ verſabatur in ſummo vitæ periculo, idque ignoraret: ſalutem fuga attulit: fugientem tutiſſimis in locis collocavit o. Tanti recordatione beneficii adverſus omnem impendentis mali timorem animum ſuum erigit, fretus quoque bonitate conſcientiæ, & quòd ſe pollere apud Deum gratia etjam in præſenti ſibi perſuaderet.

m Rom 8.31.
n ibid. 28.
o 1. Reg.23. 12.

Inter multas illuminationis notiones, quas Hugo tradit Card. ad rem faciunt juxta myſticum ſenſum illæ, quæ ad Fidei, & ſimilium donorum illuminationem, quibus intellectus illuſtratur ac eruditur, referuntur. Dici etiam ſolet baptiſmus: *illuminatio* p. Græcè φωτισμός, quia purgat, & illuſtrat, ut Nazianzeni ſcholiaſtes Nicetas notat, explicationem in ſancta lumina, ut idcircò etiam faces eo tempore accendantur in lætitiæ ſignum. Dionyſ. q cauſſam reddit, quoniam primi luminis conſortium tradit, omniumque divinarum illuſtrationum principium eſt, ac per baptiſmum ad alia inſpicienda ſacramenta, quæ lumen quoque conferunt, lucis gratiam accepimus. Id ſibi vult etiam Paulus r, dicens *nos dignos factos in partem ſortis ſanctorum, in lumine*, h. e. per baptiſmum.

p Heb. 6. 4. c.10 3.
Baptiſmus cur *illuminatio* dicatur.
q Eccl. Hier. c.3.Par.1.
r Coloſſ.1.12

Verùm litterali ſimpliciori ſenſu, dicitur Deus *illuminatio*, vel exhilarando, ac mœroris caliginem diſcutiendo, ut monit quoque Chryſoſtomus ſ: vel vitæ veluti lucernam fovendo, & accendendo, qua ratione rectè dicitur apud Deum *fons vitæ* eſſe, ut *in lumine ejus videatur lumen* t, hoc eſt, ab illo vitæ auctore, & conſervatore hauriatur vita, & retineatur. *Vita erat lux hominum* u. Lege quæ ad 29. verſ. XVII. Pſalmi diximus: *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine: Deus meus illumina tenebras meas.*

Deus illuminatio cur dicatur.
ſ in 2. ad Corin.hom.1
t Pſ 35 10.
u Joan.1,4.

Credunt alii ſpectare *illuminationem* ad animi conſilia: *ſalutem* ad removenda corporis pericula: *protectionem*, de qua in ſequentibus verbis, ad utraque. In genere valet *illuminatio* contra ignorantiæ tenebras: ſed quia non ſufficit videre bonum, niſi id valeas implere, *ſalus* adjungitur, ut Gregorius x obſervat: denique *protectio* providentis Dei, quæ præter gratiam omnino neceſſaria eſt ad perſeverantiam. Proſper y exponit, ut per donum ſcientiæ z, prudentiæ, ac ſapientiæ detrahatur cæcitas, & per gratiam ſanetur languor.

x 14. Mor. c. 15. vel 18 & l.19.c.14.vel 20.
y 3. de vita z contempl. 30.

Illuminatio mea.) Hieronym. *lux mea* אורי *ori*. Exprimit ad actum ſecundum illuminatio, & φωτισμός.

Salus mea.) Hieron. non in Regiis quidem Bibliis, ubi hæc eadem lectio, ſed apud Victorium & Trevetum a, *ſalutare meum*. Alibi quandoque retinet hanc eamdem lectionem noſtram. Interdum b legis *Salvator meus*. Auguſt. verò *Salutaris meus*. Græcè Σωτήρ μου. Hebr. ישעי *iſchhhi*, quod Euſebius hìc ait nomen eſſe Jeſu. Egimus de vocibus iſtis alibi. Sæpius cum *lumine ſalus* conjungitur c. *Illuſtra faciem tuam ſuper ſervum tuum: Salvum me fac in miſericordia tua* d: *Oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus* e: *illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri.*

a in c.7 Michaa.
b in c.51.Iſa
c Pſ.30.17.
d Pſ. 79. 8. 15. 20.
e Pſ.66.2.

Quem timebo.) ממי אירא *Mimmi ira*. Venuſta paronomaſia inter אורי *ori lux*, aut *illuminatio mea*, & אירא *ira, timebo*: quam paranomaſiam non potuerunt aliæ linguæ reddere. Tanta iſta fiducia non excludit metum, nec reddit nos omninò certos; tametſi videatur Athanaſ. illud aſſerere, ſive alius Auctor quæſtionum ad Antiochum f, dicens non poſſe excidere à gratia Dei eum, qui juſtus eſt in conſpectu Dei. Fortaſſis intellexit de prædeſtinato, & de finali, quam vocant à juſtitia. Similis fiduciæ ſententias plenas profert alias idem Propheta noſter a: *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo. Dominus mihi adjutor, & ego deſpiciam inimicos meos*, & b *In Deo ſperavi, non timebo, quid faciat mihi caro*, & c. *Quia Dominus ſuſcepit me, non timebo millia populi circumdantis me*, & d, *Deus noſter refugium, & virtus, adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis. Propterea non timebimus, dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris.* Et e, *ſi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es*: & f, *In nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis.* Itaque non deeſt adverſarius; nec de victoria planè certi ſumus, verùm Deo agente pro nobis, contemptibilis redditur, inquit Origenes g, nihilque efficitur adverſarius noſter, ſi videlicet oblatum arripiamus auxilium Dei. Moralem certitudinem nonnullam habere poſſumus, quæ excludat etiam interdum actualem formidinem, non autem potentiam formidandi. Quod verò attinet ad Deum, non eſt quod vereamur, quin poſſit, & velit juvare, & quin ſuperior ſit omni creata potentia h, *Ego, ego ipſe conſolabor vos*, inquit: *Quis tu, ut timeres ab homine mortali, & à filio hominis, qui quaſi fœnum ita areſcet?*

Athanaſii doctrina
f q.122.

a Pſ.117.6.7
b Pſ.55.5.12
c Pſ.3.67.
d Pſ.45. 2.
e Pſ.22.4.
f Pſ.43.6.
g in c. 8. ad Romanos.
h Iſa.51.12.

Dominus protector vitæ meæ) Illuminatum, & ſanatum non deſerit, ſed ſcuto providentiæ aſſiduè protegit. Satis aptè Hug. Card. *illuminationem* tribuit fidei: *ſalutem*, ſpei: *protectionem*, charitati (*operit enim multitudinem peccatorum*) i: & aliter primam, rationi, ſecundam, concupiſcibili, tertiam, iraſcibili. Pro *protectore* fortitudinem vertit Hieron. quam ſonat מעוז *mahhoz*, Græcè eſt ὑπερασπιστής. De his dictum alias. Fortitudo illa locum deſignat munitiſſimum, ut etiam ſolemus vulgò appellare (*Fortezza.*)

i 1. Petr.4.8 Prov.10.12.

A quo trepidabo? Hieron. *Quem formidabo?* Hebr. ממי *mimmi*, ſicut in priore membro. Propterea non rem, ſed perſonam denotat. Nec prius verbum *timendi* reſpicit cauſſas internas, ignorantiam & infirmitatem: *trepidandi* autem externas, inimicorum oppugnantium: ut vulgò tamen obſervat, ſed ſunt ſynonyma verba: nam paullò poſt loquens vates de caſtris, ait, quòd *non timebit* ea *cor* ſuum, utens priore verbo.

Verſ. 2.) Dum appropiant ſuper me nocentes, ut edant carnes meas.
Qui tribulant me inimici mei, ipſi infirmati ſunt, & ceciderunt.

EFfectus protectionis hic eſt, uſurpando præteritum pro futuro, propter fiduciæ, atque prædictionis certitudinem: vel etiam ob præcedens experimentum de eadem protectione. Ergo, inquit, quum irruent in me quaſi dejectum, & proſtratum, tamquam ferè, hi, qui nocere mihi cupiunt, ac velut carnibus meis ſaturari, eodemmet tempore corruent, & debilitabuntur, atque ſibimetipſis nocebunt; vel quum id facerent, illud eis accidit.

De ſpiritualibus hoſtibus Origenes, ſive de Dæmonibus, intelligit: Euſebius, de his, & de externis, atque viſibilibus: Chryſoſtomus, de aliis tentationibus, ceteri de omnibus, de ſub tempo adverſariorum Davidis. Explicat præterea Euſebius infirmitatem, & caſus eorum, qui perſequebantur Davidem, ut iiſdem profuerit, ne ultra procederent in malitia. Hoc non arbitror Davidem velle, ut nec, quod Auguſtinus tamen dicit, aliique, conſilio Dei factum, ut ſolas carnes ederent adverſarii, ideſt, carnales concupiſcentias perimerent, non læderent animam. Favet Origenes in Catena. Myſtica ſunt iſta, ut & de Judæis comprehendentibus Chriſtum duce proditore Juda, qui uno Chriſti verbo ceciderunt proſtrati k: præterea de Principatibus, ac Poteſtatibus, quas idem in Cruce Chriſtus ſpoliavit, traduxit, triumphavit l. Frequentes illas victorias David indicat ſuas de Golia, Philiſtæis, Saule ipſo, tum verò, quum ſatellites miſit Saul, qui cubantem obtruncarent m, vel quando periculum, quod ei è Ceilanorum imminebat perfidia evaſit n. Illuſtrari res eadem poteſt innumeris exemplis, ex ſacris & Eccleſiaſticis, de piorum & Eccleſiæ perſecutoribus, quam perierint miſerè, ac perverſa ſæpè conſilia in eoſdem reciderint.

Myſticè ſenſus.
k Joan.18.6.
l Coloſſ.2.15
m 1. Reg.c. 9.13.16.
n ib.c.23.12

Dum appropiant ſuper me.) Hieron. o, *Dum appropinquarent*. Auguſt. *appropinquant*. Sed in aliis Pſalteriis eſt *appropiant*: & in aliis multis locis extat idem verbum, ut minimè ſuſpicari Bredembachius debuerit, librariorum incuria hìc depravatum eſſe verbum: nec refert quòd *appropiare* non meminerit ſe apud Latinos legiſſe, quæ res præterea Eugubinum offendit. Non hoc ſolum, minus Latinum eſt. Verbum קרב *karau* cum præpoſitione על *hhal* eſt caſtrenſe, ſignificans in acie pugnare, & comminus, בקרוב עלי *bikrou hhalal*. *In appropinquare ſuper me.* Inde קרבות *kerauoth* bella, in Pſalmo ſexageſimo ſeptimo p: *Diſſipa gentes, quæ bella volunt.*

o Hic, & in c. 9. Iſa. & Zech.c.10.
Minus uſitatũ *appropiandi* verbum.
p v. 31.

Super me.) Id valet עלי *hhalai* quod in Pſalterio Ambroſiano eſt *ad me*, apud Hieron. in Iſaiam q *mihi*. Arias verbi prioris tranſlationem tractam putat ab iis, qui ad epulum magna alacritate, & aviditate accedunt: & illud *ſuper me* innuere velut in menſa, aut patina poſitum, & unicum quidem, ac ſingularem, ſimplicem, ac nihil in ipſos commeritum. Atrocior comparatio ex feris melior eſt, quàm ceteri aſſignant, prætereaque Hieron. in Iſaiam r, & congruit magis cum allata notione verbi קרב *karau*.

q in c.49.
r ibid.

Nocentes.) Hieronymus, *Maligni*, מרעים *merahhim*, de quo anteà dictum eſt. Idem Doctor alibi ſ: *Dum appropinquarent mihi, qui affligebant*. Facta modica punctorum permutatione, putat Ludovicus Legionenſis reddi poſſe, *amici*, hoc ſenſu: *Dum appropiant ſuper me amici mei*, nempè qui tales debebant eſſe, utpotè beneficiis affecti à me, quales Ceilani, quos capitis proprii periculo ab hoſtium reddiderat incurſu tutos. Contradicit participium Græcorum κακοῦντες.

ſ ibid.

Ut edant carnes meas.) Immanis, efferataque crudelitas tum in dictis, tum in malis factis denotatur. Hanc loquendi formulam expendimus in Pſalmo duodecimo t, tractantes illa verba: *qui devorant plebem meam ſicut eſcam panis*: & ſimul afferentes ex Job u. *Carnibus meis ſaturamini*, & , *Quis* x *det de carnibus ejus, ut ſaturemur?* & ex aliis auctoribus, præcipuè ſacris, ſimiles ſententias. Rabido dente dilacerare hoc loco Hieronymus exponit; Auguſtinus, inſultare, ac maledico dente conſumere. Ad hunc modum in quinquageſimo primo Pſalmo y, loquitur: Do ego David detractori, ac delatori ſuo: *Dilexiſti omnia verba præcipitationis, lingua doloſa*: Ubi Hieronymus, *ad devorandum* בלע *balahh*: Chald. *voracitati* סלעמותא *ſalhhamutha*, καταποντισμοῦ, *ſubverſionis*, ut vertit Auguſtinus, & Hilarius interpretatur, qui dici quoque poteſt καταποσμὸς *abſorptio*. Origenes autem locum iſtum noſtrum accipit de *ore gladii*, per metaphoram videlicet ab ore ferarum, de quo reliqui paſſim.

t v.4.
u c.19.22.
x c.31.31.
y v.6.

Qui tribulant me inimici mei.) Hieronymus: *Hoſtes mei, & inimici mei*, צרי ואיבי *ſarai veoieuai*. Omiſit Latinus conjunctionem, &, emphaſis eſt in pronominibus, *me*, *mei*, quaſi dicat, me unum adeò multi perdere nitebantur.

Ipſi.) Et hoc emphaticum: iidem ipſi, ipſimet.

Infirmati ſunt & ceciderunt.) Hieronymus loco primi verbi *impegerunt*, vel offenderunt כשלו *chaſchelu*. Unde offendiculum מכשול *michſchol* z: *& currens non habebis offendiculum.* *Cadere*, vel *ruere*, & *corruere* dici ſolet in Scriptura, qui in magnam calamitatem incidit, velut in laqueum, in eaque detentus nequit effugere. *Ruina* miſeriam, & calamitatem ſignificat, ut Hieronymus exponit illud Iſaiæ a, *Ruina hæc ſub manu tua* b. Dictum verbum Hebræum, ſolitariè, ac per ſe idem valet quod *offendere*, & *cadere*: quod aliter ſynonymicè declaratur per נפל *naphal*. Verùm quando duo iſta verba ſimul enuntiantur de eodem, videtur prius propriè poni pro *offendere*, ac *impingere*, hoc eſt, non adeò graviter affligi: poſterius, pro graviore quadam calamitate opprimi, ex qua non ſit evadendi ſpes, ut apud Jeremiam c: *Et cadet ſuperbus & corruet* וכשל זדון ונפל *vechaſchal zadon venaphal*. Hinc intelligitur illud Pauli d: *Numquid ſic offenderunt ut caderent? abſit*: hoc eſt, etiamſi dejecti fuerint à Deo ad tempus, & afflicti, non ita tamen, ut ſpes nulla ſuperſit ſalutis eorum. Ibi Syriacè

Cadere, ruere, corruere, ruina, in Scriptura quid ſint.
z Prov.4.12
a in c.Iſa.3.
b Ibid.6.
c c.50. 32.
d Rom.11.11

riacè primum verbum eſt תקל thekel idem valens, quod Hebr. נשחל nachſchal: ſecundùm נפל nephal, idem cum Hebræo נפל naphal. Quod in Jeremia a legimus: *Cadent, & infirmi erunt*, licèt priore loco dicatur per verbum יכשלו iichaſchelu; tamen quæ ſequuntur, aliter exprimuntur לא יכלו lo juchalu: non potuerunt nimirùm ſurgere, quod additur Chald. למקמת lemekom.

a Jer. 20. 11.

Verſ. 3.) Si conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum.
Si exurgat adverſum me prælium, in hoc ego ſperabo.

TAnta fiducia ſum in Deum, ut ne dum ſingulos non timeam hoſtes, nec integros exercitus, hoſque non in tentoriis quieſcentes, verùm etiam in acie præliantes. Corroboror validiſſimè præteritis experimentis de protectione divina. Videtur mihi Jeremiæ b præfidens iſti par oratio: *Dominus mecum eſt quaſi bellator fortis: idcircò qui perſequuntur me, cadent, & infirmi erunt*. Talis eſt Job c, *Pone me juxta te, & cujuſvis manus pugnet contra me*. Sic *unus mille* perſequi, duoque fugare *decem millia* poſſunt d. Moſis monitum fuit, *Si e exieris ad bellum contra hoſtes tuos, & videris equitatus, & currus, & majorem, quam tu habeas, adverſarii exercitus multitudinem, non timeas eos, quia Dominus Deus tuus, tecum eſt, qui eduxit de terra Ægypti*: tum ſubdit quid Sacerdos hortando pronuntiare debeat: *Appropinquante autem jam prælio ſtabit Sacerdos ante aciem, & ſic loquetur ad populum: Audi Iſrael, vos hodie contra inimicos veſtros pugnam committitis, non pertimeſcat cor veſtrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos: quia Dominus Deus veſter in medio veſtri eſt, & pro vobis contra adverſarios dimicabit, ut eruat vos de periculo*. Succeſſor Moſis Joſue g, ſi adhæreret populus Domino, eumque diligeret, pollicitus eſt fore, ut unus ex illis perſequeretur *hoſtium mille viros*, quia ipſemet pro eis pugnaret. Judas Machabæus territos multitudine, fortitudineque hoſtium, animavit, dicens h, *facilè eſſe concludi multos in manu paucorum, & non eſſe differentiam in conſpectu Dei cœli liberare in multis & in paucis: quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, ſed de cœlo fortitudo ſit: & quamvis hoſtes veniant in multitudine contumaci, & ſuperbia, ut diſperdant*, Dominum contriturum eos, proptereàque timendos non eſſe i. Is & ſui geſtaſſe in vexillo feruntur litteras indicantes: QUIS SIMILIS TUI IN FORTIBUS DOMINE? primæ litteræ Hebrææ Hebræorum vocabulorum מי כמכה באלים יהוה mi chamochah baelim Jehovah. Eamdem illam prior protulerat Jonathas filius Saul ſententiam, *Quia non eſt Domino difficilè ſalvare, vel in multis, vel in paucis k*. Simili uſus oratione ad Deum fiduciæ plena Aſa rex Juda, retulit victoriam de decies centenis millibus Æthiopum, trecentiſque curribus, quia *Dominus exterruit* illos l. Ad rem propriùs facit exemplum Jonathæ, quia ſolus cum armigero adverſus Philiſtinorum prodivit catervas.

b Jer. 20. 11.
c c. 17. 3.
d Deut. 32. 30. Joſue 23. 10.
e Deut. 20. 1.
f ibid. 23.
g Joſue 23. 10.
h 1. Machab. 3. 18. 19. 20. 21. 22.
i Exo. 15. 11.
Litteræ in vexillis Machabæorũ.
k 1. Reg. 14. 6.
l 2. Paral. 14. 11. & ſeqq.

Nihilo minor Martini Fides, fiduciaque neophyti, qui quum quam à Juliano petebat Apoſtata miſſionem, Julianus interpretaretur pugnæ metum, quæ poſteà die futura, reſpondit, *Si hoc ignaviæ adſcribitur non fidei, craſtina die, ante aciem inermis aſtabo, & in nomine Domini Jeſu, ſigno crucis, non clypeo protectus, aut galea hoſtium cuneos penetrabo ſecurus*. Narrat id amiciſſimus Martini Sulpitius m. Armavit Paulus n poſt Iſaiam o iſta ſpei galea fideles omnes, & Chriſtus vetuit eos *qui occidant corpus* metus p: & imperavit confidere, quia ipſe *viciſſet mundum* q. Noſtros in martyrio coronatos hæc, atque prima Pſalmi verba Hieron. r liberrimo ore ſcribit proferre poſſe. Ad idem eadem citat Cyprianus ſ in exhortatione Martyrum, ſumens quæ ſequuntur de divinæ ſedis, & ſalutis æternæ præmio.

De Martini fide fiducia que quæ narrentur.
Sulpitius Martini amiciſſimus.
m in vit. c. 3.
n Eph. 6. 17.
o c. 59. 17. 1. Theſ. 5. 8.
p Mat. 10. 28.
q Joa. 16. 33.
r in Zach. c. 10.

Antonius poſt duriſſima Dæmonum verbera ſemimortuus, ac pro mortuo etiam relictus, referri tamen ſic fractus voluit ad priſtinum habitaculum: & quum ſolus oraſſet proſtratus, quia ſtare propter recentes plagas non poterat, clara voce dixit: *Ecce ego hic ſum Antonius, non fugio veſtra certamina, etiamſi majora faciatis, nullus me ſeparabit à charitate Chriſti* ʒ: pſallebatque: *Si conſiſtant adverſum me caſtra non timebit cor meum*, Recitat hæc de illo Athanaſius.

Antonii fortitudo.
ʒ Rom. 8. 35.

Arceantur ab his præliis timidi, ac formidoloſi u: ſed intermittendos in ſtagnum ignis, numerantur hi ante omnes x, qui ſcilicet metu deficiunt in perſecutione. Sponſa coronanda venit *de cubilibus leonum, de montibus pardorum* *, id eſt, de moleſtiarum, ac difficilium rerum perpeſſione, de gravi, laborioſoque certamine, ut annotat Nyſſenus y.

u Deut. 20. 8.
x Apoc. 21. 8.
Locus Cantici expoſitus.
* Cant. 4. 8.
y Orat. 8. in Cant.

Si conſiſtant adverſum me caſtra.) Cypr. ʒ: *Si directa fuerint in me caſtra*: Ordinem caſtrorum paullò clariùs ita expreſſit, ſicut & Græcum verbum παρεμβάλῃ, & Hebr. תחנה chathaneh, cum quo reddit elegantem paronomaſiam nomen מחנה machaneh. Eam utcumque imitaretur, qui diceret (ſi tetenderint, vel tendant adverſum me tentoria.) Chaldæus explicat: *Si caſtra metabitur adverſus me exercitus impiorum*.

ʒ Exhortat. Martyrum c. 10.

In hoc ego ſperabo.] Latinè poſſet videri, *In hoc*, ad prælium referri, vel remotiùs ad Deum, ſive Dominum; vel ad cor, i. e. in corde meo ſperabo, aut in Domino; aut in prælio, nempè illud non mihi nociturum: vel ad ſententiam totam præcedentem: ita ut *in hoc*, idem ſit, quod, *in hac re*: quæ res una eſt ex dictis. Cyprian. a legit, *In illud ſperabo*, intelligens profectò de prælio. Favet pronomen Hebr. זאת zoth generis fœminini, ante quod eſt מלחמה milchamah, quòd *prælium* ſignificat. Græcum pronomen generis item fœminini ταύτῃ, ad vocem καρδία ejuſdem generis; quæ *cor* ſignificat, revocari poſſet: quo pacto *ſperare in corde*, foret, ac repoſitam ſpem habere in ſinu b: vel παρεμβολῇ *caſtra*. Auguſt. explicat, *In hac petitione*, Theodoret. *In hac ſpe*. Euthym. *In hoc meo corde*. Carent Hebræi neutro genere, pro eo utentes fœminino. Græci interpretes ad verbum reddere voluerunt. Latinus reſpectum habuit ad rem ipſam. Similis Hebraiſmus eſt in ſequenti verſu ab interprete relictus. Non video cur cum ſpe, deſiderium ſimul prælii Bredembachius hic aſſerit denotari.

a Suprà.
b Job. 14. 27.

Verſ. 4.) Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.
Ut videam voluptatem Domini, & viſitem templum ejus.

PRopterea nihil me caſtra prælia ve terrent, ſed ad illa fixus, ac firmus conſiſto, nixus Deo quia Deum unum quæro: ditionem hanc terrenam, pro qua homines armantur, non ambio: cupio in ejus æde immorari, tum quam hic habere dignatur inter mortales; ut ritè ipſum colam: tum præcipuè aliquando tandem in cœleſti, ubi eodem fruar. Equidem reduci mihi ab exilio, appeto licere verſari aſſiduè in tabernaculo Domini, ubi eſt arca, propitiatorium, &c. & ubi celebratur cantu, ſacrificio, ſermone Deus: ac hinc mea ſurgit mens ad contemplationem, voluntas ad amorem, deſideriumque beatitudinis, quam res hæ materiales adumbrant. Quominus jacturam timeo ullius boni temporalis, dum detur unum illud ſummum obtinere, cujus prægustus ac præceptio quædam eſt religioſa rerum ſacrarum celebratio, & frequentatio.

Auguſtinus multique Latini, de domo cœleſti accipiunt, nec aliter accipi poſſe quidam etiam probant, quia non dicit cupere ſe habitare propè domum Domini, ſed in ipſa domo Domini: conſtant autem numquam in domo Domini habitaſſe; ſed in palatio proprio, quod aberat longiùs, præſertim antequam deferretur arca in montem Sion. Deindè, quia quum rexerat, potuiſſet, ſi voluiſſet, habitare juxta tabernaculum Domini. Ad hæc, ſimile hoc deſiderium cum illo, quod habetur in Pſalm. LXXXIII. c *Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te*: de qua domo dixerat d: *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! Concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini*. Tandem adeò ſanctus, perfectuſque vir, temporalem rem non tam ardenter expeteret, ut diceret: *Unam petii, hanc requiram*, quaſi nullam aliam petendam, iſtius ſaltem comparatione, cenſeret. Hæc efficiunt potiorem eſſe ſenſum de deſiderio felicitatis, qui placuit quoque Gregorio a, & Ambroſ. b, qui prætereà c (ut & idem Aug. & Cyprianus d & Hieron. e, aliique declarant, de Eccleſia, & nova lege) item Bernardo f, & Hieron g, qui non excludunt illud de viſendo, frequentandoque tabernaculo, & ibi quoad liceat, ſemper habitando, quod facit, qui ſedulò facit, ſicut orat ſemper h, qui ſtatis horis, & quum poteſt. Denique res hæc ſpiritualis eſt, nec alia melior uſurpari dum vivimus valet.

c v. 5.
d v. 2.

a 4. Mor. c. 28 vel 34.
b de Iſaac c. 2. de Iſac c. 7. 7. de Fide reſurr. c. 1. & in Iſa. c. 52.
c in Pſ. 41.
Orat ſemper qui ſtatis horis, & quum poteſt.
d Ep. 75.
e in c. 2. Iſa.
f Serm. 3 de Aſſumpt. & in Declam. & Ser. 33. in Cant.
g in c. 54. Iſa.
h Luc 18. 1.
* v. 8.
i 1. Reg. 1. & 2. & 3.
k Nu. 3. 38.
l 1. Paral 16. 2. Reg. 6. & 7.

Græci de templo, tabernaculoque interpretantur: quæ domus Dei eſt, cujuſque ſe *decorem* priore dixit Pſalmo David dilexiſſe *: quamvis Origenes præſentem de Ezechia interpretatur locum: Voluit fortaſsè, inquit Didymus, Samuelem imitari, perpetuum videlicet habitatorem templi i. Adde Moyſen, & Aaron, quos Deus caſtrametari voluit ante tabernaculum fœderis, ad cuſtodiam ſanctuarii k. Ex parte conſecutus eſt, inquit Theodoretus, quod expetiit. Arcam enim reſtituit: aliud admirabilius tabernaculum fixit: varios canentium Pſalmos ordines inſtituit l.

Apollinarius, non in carmine, ſed citatus à Barbaro in Catena, docet ſpectandorum divinorum locorum deſiderium altiùs aſcendiſſe: quemadmodum ſi quis veſtimentum, ut librum perſonæ deſideratæ viderit, per hæc illius memoriam excitatur. Hic profectò animus diligentium *decorem domus Dei*, ac voluptatem, ut Auguſt. ſicut ipſemet in Confeſſionibus teſtatur de m ſe, atque ſimilium. Sed Auguſt. de hoc noſtro tractantem alio in n loco piè admodum, per otium legas peto, quæſoque ſenties vel ſcintillam ardentis amoris erga patriam cœleſtem, quo tantus Doctor totus æſtuat.

m 1. Confeſſ. c. 25.
n Tract. 3. in Jan.

Unam petii.) Hic Latinus voluit Hebraiſmum ſequi cum interpretibus LXX. retento genere fœminino, quod eſt pro neutro, quum tamen verſu præcedente ubi erat etiam Hebraicè, Græcèque fœmininum, uſurpaverit neutrum: *in hoc ego ſperabo* Euthym. ſupplet *petitionem* (unam petitionem) vel μίαν, ſumi docet adverbialiter pro ſemel. Alii paſſim exponunt *unam rem*, aut unum quid. Aliqui, unam virtutem charitatis, unam diem æternitatis, unam manſionem in domo Patris. De una petitione conſentit Auguſt. & confirmat exemplo uſitatæ ſui temporis formulæ, *Duas habes*, non, *duo*. Idem o explicans verba Pſalmi CXVIII. p *Hæc facta eſt mihi*, docet ibi ſicut hic pro neutro poſitum fœmininum, & in neutris non ſolere exigi aliud neutrum, quod ſubaudiendum ſit, ſed quidlibet ſub eo intelligi, etiamſi maſculino, vel fœminino genere nuncupetur, vel ſine ullo nomine ullius generis quibuslibet verbis inſinuetur.

Loquendi formula.
o in Pſ. 118. concio 15.
p verſ. 6.

Quod Euthymius de, *ſemel*, tradidit, non ita videtur ad rem, quia poſt μίαν, eſt ei reſpondens ταύτην, *hanc*. Alioquin verum quidem eſt אחת achath, *unam*, reddi per *ſemel*, & ἅπαξ, *ſemel* q *locutus eſt Deus, & r ſemel juravi*. Sed in μία ſemper ſubauditur quæpiam res ſignificata per nomen ejuſdem generis fœminini. Sic ſanè idem Euthym. ſ declarat Lucam t: *Et cœperunt ſimul omnes excuſare*: quod Græcè legimus καὶ ἤρξαντο ἀπὸ μιᾶς παραιτεῖσθαι πάντες, ut ſubaudiatur *ab una pactione* (ἀπὸ μιᾶς συνθήκης) Appollinarius ita benè expoſuit.

Ἱμειρόμην θεόθεν, τόδε μοι τριποθητον ἱτύχθη.
Unum petii à Deo, iſtud mihi optatiſſimum fuit.

Ethymii expoſitio minùs probata.
q Pſ. 61. 12.
r Pſ. 88. 36.
ſ in Luc. c. 24.
t cap. 14. 18.

In Pſalmo CXVII. u *A Domino factum eſt iſtud*: Græcè legitur, Ἐγένετο αὕτη, Hebraicè היתה זאת hajethah zoth, *Facta eſt iſta*. Et in Threnis x, *Quis eſt iſte qui dixit, ut fieret*, Hebraicè eſt verbum generis fœminini תהי thehi. Hieron. in Operibus editis à Mariano Victorio, legit, *Unum petivi à te*; ſicut & in caput ultimum, & Prooemio in XIII. librum & in Ezechielem, & in caput XLIII. & in cap. 2. Iſaiæ, & LIV. Sed in Bibliis Complutenſibus, & apud Trevetum eo modo quo vulgata.

u verſ. 23.
x verſ. 3. 37.

Porrò locum hunc de felicitate intelligendo, ſicut per accommodationem illud unum, quòd Chriſtus neceſſarium, & optimam partem dixit eſſe y, rectè perpendit Auguſt. z, *unam rem* dici, hoc eſt, ſolam, quæ amari, quærique debeat, & ſola per ſe, ac ſine addito bona vocari, atque voluptas, ſive delectatio, & jucunditas ipſius Domini, *Intra a*, inquit Chriſtus, *in gaudium Domini tui*, in qua contemplatione erit Deus *omnia in omnibus b*, quia nihil ab illo aliud requiretur, ſed ſolo ipſo illuſtrari, perfruique ſufficiet.

y Luc. 10. 42.
z Hic, & 1. de Trin. c. 10.
a Mat. 25. 21 & 23.
b 1. Cor. 15. 28.

Requiram.) Ut votis opera reſpondeant, quod eſt manibus exquirere, ne decipiantur c. Nulla vis propria in comparatione verbi Latini, quum Græcum, & Hebræum ſimplex ſit. Quærit, ac requirit, qui nondum invenit. Plus petere cenſetur quis ſecundùm leges humanas tempore, loco, cauſſa, reipſa. Dum vivis, quære, quod nec hoc tempore, nec loco potes invenire, & conſequi, nec ſis in cauſſa præpoſterus, ut abſque labore præmium velis, pro exiguo magnum, pro carnali ſpirituale, noli hic & ibi exigere voluptatem, ac beatitudinem. De his piè doctèque Philippus de Greve d.

c Pſ. 76.
d in Pſalmos Serm. 55.

In domo Domini.) Chald. *In domo ſanctuarii*. Diſtinguit Auguſt. domum à tabernaculo, quòd hoc ſit peregrinantium in hac vita, illa commorantium in alia: quamvis fateatur notiones harum vocum confundi.

Domus a tabernaculo diſtinctio.

Omnibus diebus vitæ meæ.) Quamdiù durabit Beatorum vita cum Deo, per dies, qui neſciunt occaſum, & per annos, qui ſicut & anni Dei non deficiunt e. Hi vocantur *dies boni* f, *& cœli* g, *& pleni* h, quorum unus (& ſunt omnes inſtar unius) *melior ſuper millia* i. Hæc eſt *longitudo dierum k*, hæc benedictio, qua benedicetur homo, qui timet Dominum, *ut videat bona Jeruſalem*, (quæ deſurſum eſt mater noſtra l) *omnibus diebus vitæ ſuæ* m.

e Pſ. 101. 28. Hebr. 1. 12.
f Pſ. 13. 13. 1. Pet. 3. 10.
g Pſ. 88. 30.
h Pſ. 72. 10.
i Pſ. 83. 11.
k Pſ. 20. 5. Pſ. 90. 16. Pſ. 92. 5. Prov. 3. 16.
l Gal. 4. 26.
m Pſ. 127. 5.

Ut videam voluptatem Domini.) Sic eſt in Pſalterio Ambroſiano, & ita reſtituit editio emendatior Sixti V. & Clementis VII. pro eò quòd legebatur *voluntatem*, licèt adhuc poſteà Pſalterium Romanum retinuerit, atque ſic legerint etiam veteres expoſitores, ut Hugo Victorinus, Caſſiod. Arnob. Haimo, Remig. Hieron. citatis locis nunc *voluptatem*, nunc *jucunditatem*, Auguſt. & Ambroſ. n *delectationem* legit. Tale mendum, ſed oppoſitum erat in Michæa o, quod ſecutus eſt Lyranus, *Ambulaſti in voluptatibus eorum*, pro *voluntatibus*, ſunc verò etiam correctum id eſt. Sed in manuſcriptis recta lectio reperitur, ac in aliquibus quoque impreſſis libris ante dictam editionem Sixtianam.

n de Jacob, cap. 7.
o cap. 6. 16.

Delectatio τερπνότης, & apud Symmachum κάλλος, & Hebraicè נעם nohham, *pulchritudo*, denotant objectum viſionis, & contemplationis (θεωρεῖν *contemplari* eſt, ut etiam reddit Auguſt.) & ſpeciem delectabilem, aut certè delectationem, quæ ex viſione pulchritudinis Domini percipitur, nam ipſa delectationis actio, propriè & formaliter loquendo, ac directè, non videtur, ſive qua Deum quis videt, ſive qua ipſe ſe, & objectum, quod appetitur, Deus eſt, quamvis formalis beatitudo, & actio, qua attingitur, ſit viſio, per quam videtur à beato.

Intrare in gaudium Domini apud Matthæum p, idem valet, quod, *in voluptatem*, hoc eſt, frui Deo ipſo, qui ſeipſo fruendo beatus eſt. Quomodo pax Dei vocatur à Paulo q, exuperans omnem ſenſum, non quæ à Deo eſt, ſed, ut docet Auguſt. r, qua Deus in ſeipſo pacatus eſt. *Epulatorium, & plenum jucunditatis eſt*, ait Ambr. ſ, *requieſcere in Deo, & ejus delectationem videre*.

p cap. 25. 21. 23.
Intrare in gaudium Domini quid ſit. Locus Matthæi & Pauli expoſitus.
q Phil. 4. 7.
r ep. 111. c. 18.
ſ De fuga ſæculi cap. 8.

Suſpicatur Villalpandus noſter t, quem Græci ναόν vocant, ut *templum* ſignificent, ab hac voce נעם nohham ſumptum eſſe, ablata litteræ (ע) aſperitate, itaque dictum *templum* à pulchritudine, de qua in Pſal. 143. u *Circumornatæ, ut ſimilitudo templi*. Impulit eum in iſtam opinionem illa ratio, quòd non aliam in lingua Græca τοῦ ναοῦ etymologiam repererit.

t Tom. 2. in Ezech. Par. 2.
Ναὸς a נועתת qui deducat.
u verſ. 12.

Mihi certè facilior notatio videtur, quam non ſit emendicare neceſſe à peregrina lingua, Παρὰ τὸ ἐνναίειν ἐν αὐτῷ τὸν Θεόν; *quod in illo habitet Deus*, vel quaſi ſimilitudinem habeat cum nave, quæ dicitur ναῦς. Cujus quoque nominis Euſtachius à ναίω *habito*, derivationem format, licèt alii à νέω *nato*. Quamquam video poſteriorem iſtam rationem in templa quidem noſtra quadrare, ut aliàs docui x, teſtimonio Petrum, & aliquo modo in vetus illud Hebræorum, non autem in omnia etiam Gentilium, quæ perſæpe rotunda erant. Sed ſanè templo rectè nomen convenit *voluptatis*, & accommodatitio ſenſu accipi de eodem poteſt apud Michæam y *domus deliciarum*, unde mulieres ejectæ deplorantur, & à parvulis earum ablata laus Dei in perpetuum, immò & para-

Aliæ deductiones vocis.
Vocis ναῦς derivatio.
x 1. Pet. 3. 29.
y cap. 1. 9.

& paradiſus voluptatis, tùm quia ibi, maximè delicias ſuas habet Deus cum hominibus, tùm quia eaſdem ibidem iiſdem illis communicat. Lege quæ de Templi gloria ſcribuntur in Hiſtoria Machabæorum *a*.

Crux in templo inſtar arborum omnis generis: pro fontibus aqua baptiſmalis, ac luſtralis: pro floribus varis ſanctorum, qui ritè ibi coluntur, ordines: pro avium concentu cantica, & inſtrumenta muſica: pro aeris ſalubritate, pia precantium ſuſpiria: pro convivio, Euchariſtia omne delectamentum in ſe habens *b*, ceteraque Sacramenta: pro familiari dialogiſmo de rebus divinis, habentur tùm lectio, tùm recitatio: pro cetera ſuppellectili, reliquus ornatus, vaſorum, veſtium, periſtromatum, tabellarum, imaginum, &c. Eadem proferri comparatio poteſt cum elegantiſſima, inſtructiſſimaque Baſilica, regiove Palatio: ſiquidem & baſilicæ jam vox in baſilicis noſtris propria ferè facta eſt. Idem judicium de Juſto, quod *templum Dei* dicitur. Juſtus non architectos domorum, ſed mundi Deum imitatur. Illi lapides rudes in fundamenta jaciunt: Deus mundi ceu fundamentum cœlum ſtatuit: hominis animam: Eccleſiæ Chriſtum *d*. Juſtus ædificii ſpiritualis virtutes, quas non oſtentat, ut ſunt materiales lapides ſuperiores expoſiti, poſitique, ſed tegit. *In charitate*, inquit Paulus *e*, *radicati & fundati*.

[Margin: a lib. 2. c. 1. 41. 42. — Templum, paradiſus voluptatis ut rectè dicatur. — b Sap. 16. 20. Exod. 16. 14 — Templi cum Baſilica & regio palatio comparatio. — c 1 Cor. 3. 16. cap. 6. 19 — d 1. Cor. 3. 10 & ſeq. — e Eph. 3. 17.]

Viſitem templum ejus.) Hieron. *Attendam templum ejus.* Innuit in Commentario aliam lectionem: *Protegar in templo ſancto ejus.* Alibi *f* ſecutus lectionem noſtram addit epithetum *ſancti*: *ut viſitem templum ſanctum ejus*, quo item pacto eſt in Bibliis Regiis, Complutenſibus, aliis, & apud Cyrillum *g* τὸν ναὸν, ἅγιον αὐτοῦ. Ambroſius *h*: *ut conſiderem templum ejus*. Auguſtinus, & Pſalterium Romanum: *& protegar à templo ejus*: Fulbertus *i*, *à templo ſancto ejus*. Legerunt forſan ἐπισκέπεσθαι pro ἐπισκέπτεσθαι. Eſt hujus loci Hebræum verbum בקר *bakker*, *quærere*, *ac luſtrare oculis* diligenter, potiſſimùm die illuceſcente. Idcircò appellant mane בוקר *boker*, qua depulſis tenebris tunc primum quæ latebant, perquiruntur.

[Margin: f Proœmio in lib. 13. in Ezech. — g in Zach. 8. 22. — h In cap. 52. Iſaiæ exedit. Rom. — i ep. 126.]

Si *templum* pro cœlo ſumitur, Beatorumque domicilio, ibi poſt viſionem voluptatis Domini, hoc eſt, poſt ipſummet viſum Deum, nihil jucundiùs, quam loci ſancti, ſacrique ſpectare pulcherrimum ordinem, incolas quodammodò benevolè, dulciterque interviſere, frui externis, etiam abjectis, & materialibus, ac honeſtis voluptatibus in corpore, quando redditum nobis fuerit. *Luſtratio* prætereà *templi* creatarum cognitionem rerum poteſt innuere, quæ unum veluti conſtant templum, & viſioni beatificæ tamquam cumulus adjicitur.

Verſ. 5.] Quoniam abſcondit me in tabernaculo ſuo, in die malorum protexit me, in abſcondito tabernaculi ſui.

JAM cœpi guſtare, quàm dulcis Dominus, quàm jucunda habitatio in domo Domini. Ibi quidem Saulem fugiens protectus ſemel ſum in Nobe ab Achimelech receptus *k*: ſed ſæpiùs auxilium in calamitatibus percepi, non ſecus quàm ſi admiſſus fuiſſem intra intimas domus Dei latebras, quo nulli penetrare inimicorum liceret. Hęc eſt cauſſa, quare illud unum tam avidè appetam, & requiram, videre nimirùm voluptatem Domini viſitare templum ejus. Sic Moſes quoq; & Aaron in tabernaculo apparente gloria Domini ſuper illud: evaſerunt populi lapidationem *l*. Quo ſpectare quoquo modo poteſt jus aſyli, & exempla Sanctorum, qui ſe in Templis tutos credebant. Poteſt etiam figurata locutio eſſe, ac militaris metaphora ex tentoriis, quibus milites proteguntur. Sic enim ſæpè loquitur vates noſter, ut renovet memoriam de comparatione vitæ noſtræ, cum peregrinatione, atque militia *m*. Sed & tabernaculum non manu factum cœli deſignatur, undè miſſa præſidia ſint: vel hæc ipſa Deique gratia taberbaculi inſtar habere dicuntur. Quaſi diceret, Jam teneo amoris erga me pignus divini: gratiam accepi, gloriam petere audeo, non minùs tutus delitui, quàm ſi intra adyta fuiſſem. Inde ſpem concipio ad ipſam Dei domum perveniendi, & tabernaculum, quò nullius omninò mali flagellum *appropinquat* n. De materiali tabernaculo fœderis Lyranus, Trevetus, Arias, & alii, & poſſet id exponi vel in futuro, *Quum videro voluptatem Domini, & viſitavero templum ejus, tunc proteget me*, &c. Vel in ſubjunctivo, *tunc protegit me*, &c. Sed retento tempore præterito: (nec enim probabile ſit, prædictionem eſſe de Joas, quem Joſaba ſoror Ochoziæ patris ejus abſcondiſſe traditur in domo Domini) *o* nec obſtat, quòd ingreſſus David tabernaculum ipſum non ſcribatur: ingreſſum namque facilè credi poteſt, quum de Doeg id narretur Idumæo Principe paſtorum Saul *p*. Fateor tamen iſta omnia ſecundùm figuram rectè accipi eo modo, quem diximus, & placet Euthymio multiſque recentioribus: omittoque quæ hic de jure aſyli dici poſſent, de quo memini dixiſſe alibi *q*.

[Margin: k 1. Reg. 21. 1. & ſeq. — l Num. 14. 10. c. 16. 43. — m Job. 7. 1. — n Pſ. 90. 10. — o 4. Reg. 11. 3 — p 1. Reg. 21. 7 — q Act. 21. 30]

Appellat hanc Appollinarius ἀθανάτην καλύβην *immortale tentorium*. Euſebius ait, protectionem illam Davidi fuiſſe fugienti, degentique in ſolitudine, ac deſertis locis pro domo, ac refugio, & ſimilem dicendi formulam eſſe apud Iſajam *r*: *Vade populus meus, intra in cubicula tua, claude oſtia tua ſuper te, abſcondere modicum ad momentum: donec pertranſeat indignatio.* Origenes, & Latini multi exponunt, ut præter enarratores Hieron. quoque in Iſaiam *ſ*, & Iſidorus in Exodum *t*, myſticè de Chriſto, cui tabernaculi ratio congruat, nec non de Eccleſia. Hæc in illo, juſtus protegitur in utroque, & auctore Paulo *u*, vita noſtra abſcondita eſt cum Chriſto.

[Margin: r cap. 26. 20 — ſ In cap. 4. — t cap. 44. — u Coloſſ. 3. 3.]

Abſcondit me in tabernaculo ſuo.) Hieron. *in umbra ſua*. *Umbram* pro umbraculo dixit בסכה *beſuccoh*. Chaldaicè בטללוי *bitlao*, ἐν σκηνῇ αὐτοῦ, *in ſcena ſua*. Alibi *x*: *Obumbraſti ſuper caput meum in die belli*, סכח *ſacchotha* ἐπεσκίασας: & *y*, *Scapulis ſuis obumbravit tibi*: de qua ſententia præclarè Bernardus *z*: *Super omnem gloriam protectio*. Vaticinatus eſt Iſaias *a* de Eccleſia, & primo adventu Chriſti, ut Hieron. *b* explicat: *Et tabernaculum erit in umbraculum diei ab æſtu & in ſecuritatem*, (etiam ab hoſtibus, quod ad rem facit præſentem) *& in abſconſionem à turbine.*

[Margin: x Pſ. 139. 8 — y Pſ. 90. 4. — z Ib. ſerm. 4. — a cap. 4. 5. — b Ibid.]

Peculiari quodam modo *abſconſi ſunt in tabernaculo* religioſi viri ſeparati à ſtrepitu mundi, clauſtris incluſi, ut idem notat Bernardus *c*, Hugo Victorinus *d*. Sed benè monet prior, ut ſe quiſque abſcondat etiam in loco abſcondito, non ſolùm ante oculos aliorum, ſed multò magis ante ſeipſum, exiſtimans ſe inutilem ſervum *e*: poſterior autem, ibidem protegi non cenſeri, qui in loco quietis quietè vivere nolunt. Idem vocantur *abſconditi* qui ſancti *f*: *Cogitaverunt adverſus ſanctos tuos*, Hebraicè על צפוניך *hhal tſephumecha*: Deus ipſe iiſdem quodammodò abſconditur, quia ipſimet ſi ſimplices fuerint, hoc ipſum ignorat *g*, & ſunt apud homines obſcuri, ignotique, tum ſuomet arbitrio, tùm eorum pravo judicio: denique teguntur à Deo, ne quis noceat. Rectè *theſaurum abſconditum*, de quo Chriſtus *h* in parabola, juſtum appellaveris, ejuſdem Chriſti fratrem, qui eſſe, dicique *abſconditus* voluit *i*.

[Margin: c Ibidem. — d In Pſalmos cap. 36. — e Luc. 17. 10 — f Pſ. 82. 4. — g Job. 9. 11. — h Mat. 13. 44 — i Iſa. 45. 15]

In die malorum.] Hieron. *in die peſſimo*: qui etiam ea verba jungit prioribus, *abſcondit enim me in umbra ſua*: quo pacto nectitur Hebraicè, & apud Auguſt. alioſque. Nos jungimus verbo *protexit*: *In die malorum protexit me*. Ad ſenſum nihil intereſt. Illud certè verum videtur, in interpunctione, qua utimur, quemadmodum, & in partitione verſuum, non habitam exactè rationem intelligentiæ, ſed fortaſsè commoditatis cantus.

[Margin: Interpunctio & partitio verſuũ expoſitio.]

Dies malorum autem, vel *mala*, &, ut Hieron. vocavit, *peſſima*, יום רעת *jom rahhah*, eſt dies calamitatum, quæ alibi *k* nominatur *dies mala*, *dies tribulationis* l, *dies belli* m, in qua Deus liberat, & obumbrat. Quicumque dies laborioſi, & pericoloſi, vocantur *mali*. *Quoniam dies mali ſunt* n, inquit Apoſtolus: &, *ut poſſitis reſiſtere in die malo* o. Sed κατ᾽ ἐξοχὴν talis dicitur *dies mortis*, vel *extremi judicii* p. *Beatus vir, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.* Quod poſteà David magis diſtinctè declarans, mentionem facit de ope *ſuper lectum doloris q*. Agitur illis diebus de ſumma rei, nec ullum diſcrimen majus, nec ullum periculoſius malum.

[Margin: Dies malorum dies mali, quid ſint — k Pſ. 40. 2. — l Jer. 16. 19. — m Pſ. 130. 8. — n Eph. 5. 16. — o cap. 6. 13. — p Pſ. 40. 2. — q verſ. 4.]

Protexit me in abſcondito tabernaculi ſui:) Idem eſt *abſcondi in tabernaculo, & protegi in abſcondito tabernaculi*,

eſtque Pſalmis familiaris epitaſis, ſ. amplificatio. Illuſtratur hic alio ſimili locus *a*: *Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ, à conturbatione hominum. Proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum.* *Abſconſio* iſta *faciei Dei* poteſt eſſe, quod ſe contineret quodammodò lumen faciei, ne per id cernere poſſent adverſarii, & idcircò nec nocere, ut contingit Sodomitis *b*, & Syris *c*. Hùc revocatur quoque abſconſio Jerem. ac Baruch per Deum facta, perſequente illos Joacim rege Juda *d*. Ad idem facit quòd Abdias Eliæ dicebat: *Spiritus Domini aſportabit te in locum, quem ego ignoro* e, & quòd Chriſtus tranſiens per medium perſequentium ibat *f*, vel abſcondebat *g* ſe, ſe inviſibilem reddendo, ut in Joannem ſentit Theodorus Heracl. Leontius, Euthym. Theophyl. & in eumdem, atque in Lucam, Maldon. noſter, ac alii. Denique araneæ tela, quæ divinitùs obtenta dicitur Davidi intra ſpeluncam, in qua erat etiam Saul, ut aliàs meminimus: ſive aliter ſe ſubducendo, & evadendo. Ad hæc poſſumus interpretari non ſolùm præcidi adventum malorum & eorum impetu repelli, ſed effici, ut ſenſum, ac moleſtiam Deus tollat, & ex iis potiùs voluptas percipiatur: quod ex multis unum docere exemplum poteſt Theodori juvenis apud Theodoretum *h*.

[Margin: a Pſ. 30. 21. — b Gen. 19. 11 — c 4. Reg. 6. 18. & 19. — d Jer. 36. 26 — e 3. Reg. 18. 12. — f Luc. 4. 30. — g Joan. 8. 59 c. 10. 39. c. 11. 36. — Araneæ tela divinitus Davidi obtenta intra ſpeluncam. — h 2 Hiſt. Eccl. cap. 10.]

Verſ. 6.) In petra exaltavit me, & nunc exaltavit caput meum ſuper inimicos meos.
Circuivi, & immolavi in tabernaculo ejus hoſtiam vociferationis: cantabo, & Pſalmum dicam Domino.

ALio exemplo demonſtrat protectionem Dei: ſcilicet ſe ab illo protectum, defenſumque, ac ſi collocatus in altiſſima, munitiſſimaque arce fuiſſe; unde factum, futurumve ſit, ut victor, atque ſuperior evaderet, vel evaſurus eſſet, inimicorum ſuorum, ad eum modum quo ſuper alia corporis membra caput eminet. Hac de cauſſa pollicetur ſe in actionem gratiarum, hoſtiarum multitudine altare circumdaturum, cum ſumma mentis, vocisque jubilatione, & carminibus decantaturum laudes ipſius, & Pſalmis victorialibus celebraturum.

Incidentes alios ſenſus myſticos attingimus in enucleando ſingulas partes, ut litteralis communiter traditur iſte, quem poſui, quique adhuc magis ex his conſtabit, quæ dicentur.

In petra exaltavit me.) Locus ille, in quem David confugit, quando in coronæ modum Saul eum cingebat, vocatus eſt *Petra dividens* סלעהמחלקות *ſelahh hammahkoth*, quia Saul indè revocatus eſt, ut Philiſtæis reſiſteret *i* Fortaſſis figurata dumtaxat oratio eſt, ſicut præcedentes, & alia in ſexageſimo Pſalmo *k*, *Dum anxiaretur cor meum, in petra exaltaſti me: Deduxiſti me quia factus es ſpes mea: turris fortitudinis à facie inimici*: & in 39. *Statuit ſupra petram pedes meos* l: & in Iſaia *m*, *Iſte in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas ejus.* Myſticè *petra* Chriſtus *n*, & ſoliditas fidei, ac virtutum quoque aliarum: prætereà corpus Chriſti cum foraminibus plagarum, ubi columba nidificat *o*, & habitat, ubi *refugium herinaceis p*. De plagis Chriſti exciſam petram, de qua Iſaias, Hieron. *q* accipit: indè mel ſugitur, oleumque *r*. Tandem ut ſcribit Bernardus *ſ*, *quid non boni in petra? In petra exaltatus, in petra ſecurus, in petra firmiter ſto: ſecurus ab hoſte, fortis à caſu: & hoc, quoniam exaltatus à terra: anceps eſt enim, & caducum terrenum omne.* Proprietates *petræ* convenire Chriſto alibi oſtendit. Ipſe fundamentum eſt Eccleſiæ, à fluctibus tundi potuit, non conſumi, ſed illi evaſerunt in ſpumam: ſuperficies ſola Humanitatis tamquam ignibus ambuſta eſt, verò ſoliditas Divinitatis: Ex hac petra ſcaturiunt fontes gratiarum: in ea radices egit qui ſimilis eſt hyſſopo per humilitatem, & aliàs virtutes.

[Margin: i 1. Reg. 23. — k verſ. 3. 4. — l verſ. 3. — m c. 33. 16. — n 1. Cor. 10. 4 — o Cant. 2. 14 — p Pſ. 103. 18. — q c. 51. 1. 16. — r Deut. 32. 13. — ſ Serm. 61. in Cant.]

Ad litteram ſpectat, ut cum Auguſtino alluſionem dicamus ad morem Imperatorum, qui ſuperiora ſuis militibus loca provident ad meliùs pugnandum. Apollinarius vult indicari celſiorem, ac celebriorem locum, qui Principibus datur, ait enim:

Ἠλιβάτου περίπυστον ὑπὲρ πέτρης ἀνάειρας,
Excelſa celebrem in petra exaltans.

Hebr. futurum tempus eſt, ſed præteritum reddi ſolet pro illo, ut ſæpè vidimus, ob vaticinii certitudinem: eademque ratio de præcedentibus verbis, quæ pariter ſunt in futuro.

Et nunc exaltavit caput meum ſuper inimicos meos.) Exaltatio iſta, præter ſenſum priorum verborum, quem continet, ut ſublimiùs hoſtium tela ſecurè deſpiceret, aut quòd reſtitueretur dignitati, & ſuperior efficeretur, importat lætitiam, & confidentiam. Relege dicta ad Pſalmum tertium *t*: *Gloria mea, & exaltans caput meum.* Græcè additur, *Ecce*, καὶ νῦν ἰδοὺ. *Et nunc ecce*: Auguſt. ita legit. Pſalterium Ambroſ. *Et ecce nunc.* Romanum & Gregorium *u*, *Nunc autem.* Hier. *x* illud, *Ecce*, ſuperfluum eſſe aſſerit. Aquila ὑψωθήσεται ἡ κεφαλή μου, *Exaltabitur caput meum.*

[Margin: t verſ. 4. — u Hom. 15. in Ezech. — x Ep. 135]

Videtur mihi cum Euthymio oratio præfidentis, & inſultantis, & argumentantis ex præteritis, ſibique id quod futurum eſt, tamquam præſens certò promittentis, *Et nunc*) quaſi dicat, *ita igitur, nunc, iam, illico, ſine mora*. Vide in Pſalmo ſecundo *y*: *Et nunc reges intelligite.* Euſebius in adverbio iſto temporis obſervat tempus continuum: quia qui de hoſtibus triumphum egerit, ſemper ſit hoſtium capite ſublimior & excelſior: atque ita etiam nunc David ubique celebretur, ut qui ſuper poteſtates inviſibiles caput extulerit. Re ipſa ſuper viſibiles quoque inimicos David caput extulis conſtitutus in caput Gentium *z*: ſed multò magis caput noſtrum Chriſtus omnes devicit: Quod caput ſuum, gaudet, inquit Gregorius *a*, Eccleſia nunc in cœlis exaltatum, ſperans & ſe quandoque exaltandam. Tres modos affert Bernardus *b*, quibus Dominus exaltet caput noſtrum, Mentem à terrenis affectibus ſuſpendendo; Divinam ſcientiam conferendo; Ad amorem cœleſtium ſublevando.

[Margin: y verſ. 10. — Euſebii obſervatio in adverbio *nunc*. — z Pſ. 17. 44. — a Hom. 15. in Ezech. — Tres modi quibus exaltat Dominus caput noſtrum. — b in ſententiis.]

Circuivi, & immolavi, &c.) Meritò Iſaias, *c* poſtquam prædixit conſtituendum Chriſtum in fœdus populi, & in lucem Gentium, provocat habitatores petræ; ſive fundatos in Chriſto, ſive confirmatos, ac protectos ab eo; *laudate habitatores petræ*; & ita facturos ſciens, ſubdit: *De vertice montium clamabunt, ponent Domino gloriam, & laudem ejus in inſulis nuntiabunt.* Longè majus iſtud ſacrificium laudis, atque vociferatio, quàm quæ David hic vovet. Etſi non neſcio habitatores Arabiæ Petrææ exponi ſolere per habitatores illos petræ.

[Margin: c c. 42. 11. 12 — Habitatores Arabiæ petrææ qui ſint.]

Ceterùm quod priore Pſalmo *d* prædixerat circumdaturum ſe altare, id modò feciſſe dicit, niſi velis etiam, ut dixi, præteritum ſumere pro futuro, atque nunc etiam adhuc promittere: quod quia ſit certus ſe facturum, feciſſe dicat. Gregorius *e* legit in futuro. *Circuibo & immolabo*: prætereà Caſſiodorus. Quid *circuitio*, aut *circumdatio*; prætereà Caſſiodorus. Quid *circuitio*, aut *circumdatio* importet, eodem illo Pſalmo docuimus. Quamquam Hebr. *circuivi*, non eſt, ſed *circum me*, non סבבותי *ſeuiuothi*: & Hieron. reddit. *Qui ſunt in circuitu meo*, nimirùm jungendo præcedentibus, *exaltavit caput meum ſuper inimicos meos, qui ſunt in circuitu meo.* Baſilius, & Theodoretus, *circuitionem* non ad immolandum, ſed ad hoſtes obſidione cingendos, capiendoſque, cenſent pertinere, ſed Origenes, Euſebius, & alii priorem ſequuntur ſenſum de ſacrificio.

[Margin: d verſ. 6. — e Greg. Hom. 17. in Ez.]

Exponit Auguſt. Hieron. & alii, myſtico videlicet ſenſu: Conſideravi orbem credentem in Chriſtum: & in eo, quòd pro nobis temporaliter Deus humiliatus eſt, gaudens laudavi eum. Vel: *Circuivi* mente cuncta beneficia, & opera Dei, & *immolavi in tabernaculo*, id eſt, in cœlo, quod contemplor, aut in orbe toto, & Eccleſia ubique diffuſa, *hoſtiam vociferationis*, magna voce laudans Deum, quod eſt ei gratiſſimum ſacrificium, juxta, id *f*, *Immola Deo ſacrificium laudis*, & *g*, *Sacrificium laudis honorificabit me*, & h *Reddemus vitulos labiorum noſtrorum, aut fructus*.

[Margin: Myſtica interpretatio — f Pſ. 49. 14. — g Ibid. 23. — h Oſea 14. 3 Heb. 13. 15.]

Vel *Circuivi* tamquam bonus miles caſtra, & mœnia mentis meæ cuſtodiens, ac militare pro meo duce volens: *Circuivi* animo, & cognitione quo pacto placerem Deo: *circuivi*, exempla Sanctorum circumſpiciens ad imitandum, &c. Bernardus *i* adc. t *circuitionem*, qua quis contemplando viſit, & obit ſedes, atq; manſiones ſuper-

[Margin: i Serm. 4. de Aſcenſ.]